

QVÆSTIO MEDICA

QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS

MANE DISCVTIENDA

IN SCHOLIS MEDICORVM

DIE IOVIS XIII. FEBRVARII

M. GABRIELE DACQVET

Doctore Medico Præside.

Nocetne Fœcunditati Aquarum Metallicarum Potus ?



VOD ſint durentque mixta ; vivant, alantur, augeſcant, generentque plantæ ; ampliore quinetiam ac meliore vitæ ſorte moveantur ac ſentiant animalia, id certè multò maximum inſito, naturali, proprioque humido debent, cuius arctiore nexu ſtant modò tenenturque caduca cuncta. Hinc quippe de rudi & indigeſta mole formam cepit mirâ rerum varietate exornatum corpus Vniverſitatis, ejuſque gratiâ hôcce velut adhibitô Feciali amiciùs convenere, odijs cæteroquin exercita immortalibus Elementa : ſic ad cuiuſque mixti modum commenſumque comparata atque invicem commiſſa ſingularem humore vel abundant, vel nequeunt carere. Igni ſiquidem reliquorum Domino pabulum is ſimul & frænum ; almæ Telluri vinculum & penum : illius glutinô cohæret & corporata ſolidatur, huius fertilis vbere impatiens novalium indefeſſa ſemper & vbi-

que parturit : nihil proinde igne terrâve genitum primigenio humore vacat, eodem defectum destitutumue protinus laborat naturamque exuit. Fossilibus quidem & metallis immitis ille, peregrino vapore halituque noxio inquinatus; viuentibus castigatior, laboratior maximè animantium genti præ stirpibus; vni homini dote summâ præcipuus, vberrimus; singulis ad vitæ sustinendæ demensum viresque focillandas, communi mortalis naturæ excidiô & lege dictâ, in dies consumendus, augendus nemini, aut reparandus; non optimô alimentô, nedum impostoris Paracelsi quintâ essentiâ foliorum Dauræ; vel Cedrinô oleô cerebrosi Vanhelmontij; æruscatorumue Chimicorum mendacijs impudentibus nobilitatô aurô potabili : Ecquid enim solidô disparata Naturæ divortiô fossilia & metalla habitura tandem cum vita commercij ? vt huius bonis, illius ingratijs, arcanâ & magistrâ arte per ignem industriè translatâ, novô more sese adoptent : in vna gratiosi illius humidi solidis primùm divisa partibus mensura, vnus, par nemini, vitæ modus, sobolis census.

VIVENTIS spes sorsque prima & vltima fœcunditas, plantis præsertim, ordinique animantium aquatilium vniverso præcoci frugique lasciviâ, homini serâ & parcâ, ejusdem cum vita fundi & glebæ vsuraria precariò venit. Fœminam quàm marem pejùs illa & maturiùs excipit, mulcat, deserit; geniali victu quàm accuratô & emendatô; gelida sub Arcto quàm ad Nilum; Cœlô aquiloniô, aut siticulosô sub Cane, quàm liquidis eblanditô Favonijs; biliosô, pituitosô, melancholicô superante succô serôve, quàm sanguine, cuius vnius sinceri & integri statâ ac tempestivâ alluvione, ęstuque locis exundantibus irrigua & emollita Veneris arua placitô rigidi vomeris ictu demum subarata fœcundantur proventu restibili; ejusdem paupertate aut vitiô occidit spes generis. Tum scilicet de cæterô bene nata sterilescunt, inani haustu Veneris compagibus hęret mulier, hujusque sudorem exercita potat; famelicus & vagus fluctuat incertis erroribus vterus, nec purâ libidine turget; sæpicule malè feriatus oscitat, & quod ægrè immulsit semen corrumpit de facili, vel bonæ frugi conditum mox eliminat, nec sinit vivescere; vel laboratum fœtum abortione perdit annona durior. Modò strigo-

ſus aridâque ſiti hiulcus carbunculatur ; modò iugi fluore lacrymoſus emucidusque permadeſcit ; modò perversô oſtiô ſulci rectâ regione vomerem eijcit , ictumque provolantis ſeminis etiam invitus declinat ; modò obſignatâ naturâ nil datur fruendum , eamque non emicat in partem vis ſanguinis , vbi ſcirrho occalluit. At ſontica planè, nullaque gravior oblæſæ vel emortuæ fœcunditatis cauſa , præ ſicca intemperie : ſeu totius illa ſit, ſeu membra voluptatis , caloris frigoriſve comes ſolùm occupet; eadem vtrinque nexos manet injuria , quanquam hâc illa grandior. Hinc Tauræ , viraginis ſementis infrugifera pœnitenda colono. Hinc fœcundum nihil niſi harmoniâ ſponſæ Veneris compare jugô. Illam proinde experiuntur iratam ante Naturâ dejuncti , quàm lege vſúque conjuges , niſi annorum vindicta nodum ſolverit ; vel diſpar alter reconciliaverit torus ; aut vitium , Naturæ ſtudijs æquior Medicina redemerit.

SINE Aqua nec corpus vlli viventium , nec vlla cibi virtus poteſt naſci , nec tueri , nec parari ; nullis licet pro alimento , gratuita omnibus medicina , ſanis , cauſarijs , ægrotantibus ; potu , fotu , inſeſſu , vel crebrô ictu ab alto infuſa , receptiſſimô quidem vſu abuſúque , cuius idoneus & iuſtus arbiter conſideratus Medicus vnus eſto , ipſa cui potior Marciâ & Virgine veniet optima quæ horaria , ſudô cœlô , dubiôve , procellosô , vel tonitru iactúque fulminum obmurmurante æthere pluit : animam nempe inde hauriunt vitalem plantæ , ac quicquid opum terra fundit , pulchrè fœnerato hujus beneficio redit. Proxima , ſed minor dotibus , puri vivique fluminis arenosô alveô ad Orientem placidè decurrentis ; deterior è fonte manans , defoſsô vel hauſta puteô , ni gravem hypochondrijs , extis indomitam , mora , inſolatus , agitatio caſtigaverit : ejuſdem claſſis ciſternina , pluvialis gratiam conditione perdidit ; reſes de lacunis ſtagniſque torpentibus , vitium quod cepit facit ; gutturoſis Equiculis totique Medullorum genti tumore ſe prodit vernaculô de nive & glacie pota ; ſtrumoſis Iberis accuſat tyrannidem gelidi frigoris. Bonitatem fruſtra lance exploraveris ; nullius ſit admiſſæ conſcia peregrinitatis , ſalivam nec moveat , feriatve nares. Hæc temperati frigoris , ſiue egelida , cæcô igne æſtuantibus interaneis pro libramento , ſtomachum recreat lan-

guentem, somni conciliatrix, fœcundæ Veneris sospita, Thespiâ fidelior conceptum mulieribus repræsentat, avidi caloris moratur ruinam, tabidos, hecticos, reddit habitiores, remediô febri præsentariô, sanguinis vndecunque fluentis, vacuationis cholericæ impetum comprimit & sistit, profugum eadem revocat animô linquente calorem, rigorem soluit tetani: decocta capitis mulcet dolores, obstructa referat; affusa tepida fractis, luxatis, vlceribus, contractis artubus & resolutis amica: dura emollit, densa aperit, laxat tensa, crassa digerit, pigram maturat suppurationem, & quod omnem hôc æui paginam implet medendo, vetere innocentique vsu pro mochlico sola satis est emetico.

AT totô suô degeneres Elementô quæ de fossilibus & metallis terris penè omnibus emicant Aquę, Naturæ & Vitæ inimicissimæ: percoctæ illæ ignibus suppositis, quos pluribus locis terra opertos alit fovetque gremio; nullæ ideo frigidæ, æstuosæ omnes, egelidæ, tepidæ, calidæ, fervidæ, & quod maleficij caput est, siccandi efficacitate inemendabili: neque vnius omnes noxæ, quia nec mixturæ, quam vnus sine lege casus nulli imitabilis arti variè temperat pro ingenio soli quô viam inveniunt & quærunt: aliam enim atque aliam venis in diem alternantibus sollicitant & parant (ne ex destinato hominum causâ putes similiter mixtas quotidie erumpere) sive in transcursu fossilia & metalla sua illis vitia affricent; seu obviô fœtæ halitu vel tetrô infectæ vapore, aut situ succi nequioris de terræ barathris exspirantis; sive lethiferis stirpibus venenatæ venenent. Insidiosâ namque plures conditione ori acceptissimæ, oculis blandiuntur, nullâ deterrent qualitate, nullô odore suspectæ, qualia magnorum artificum venena quæ deprehendi nisi morte non possunt. Tales Stygis Arcadicæ, Neptunij fontis, Alpium Cottiarum, Tilphossæ fatalis Tiresiæ: solô etiam halitu homicidæ Ioniæ: lavisse in Chropso fuit exitiale. Quæ puris intepuere ignibus medicamentosæ qualitatis nudæ, inventu rarissimæ; tales Pergami in Allianis; ac supplente veterum industriâ, suis cum æstuarijs, miliarijs, draconibus magnificô sumptu exstructæ Thermæ. Neque protinus innocuæ quæ dulces, Chia rea emotæ mentis; summa Achillæi fontis lympha

dulcis, ima ſalſa; Albaque trans Anienem aqua horrore primùm frigidô ſubeuntes afficit, mox ignei medicamenti modô fervefacit: adeo proclive, etiam eruditis ſenſibus, falli judiciô & fallere. Numerô vſúque ſuperant quæ alienô guſtu, acidô, auſterô, ſalſuginosô, amarô, ſe produnt & probant medicatæ virtutis, vt fere promiſcuæ & ambiguæ omnes gentis. Auri, Argenti, Æris, Ferri, Stanni, Plumbi, Stibij, Aluminis, Sulphuris, Bituminis, Nitri, Salis, Chalcanthi, Chalcitidis, Chryſocollæ, Sandarachæ, Hydrargyri, Auripigmenti, Arſenici calentes venas quum permeant, horum vires & virus inſimul concipiunt, recentique medentum auſu potæ, teneris condunt clanculùmque inurunt viſceribus.

SVO proinde meritô damnata Veteribus illa Medicina quæ nullô diſcrimine Aquarum vtitur perfugio. Hæc nempe vltima inofficioſæ ac pauperculæ ſuæ artis naufragis tabula, quâ ſe jugibus querelis vt ſubducant laborantium, confeſtim aquatum ire jubent: quando non eſt ampliùs in metu tentare ac periclitari valetudinem ignotis nocentibuſque remedijs. Ecce ruditatis temeritatiſque inſtructi viaticô, densô examine ad nundinas Aquarias vndelibet convolant animas negotiaturi anniverſarij errones Mendici: domi etiam, bene multum vectigali inter Idiotarum greges operæ ac mixturæ ſecretioris aucupiô, cauponantur factitias, jamque oppidò populari veſanæ novitatis morbô, *Incorruptibiles* illæ pro panchreſto barbarè audiunt: fugit ſcilicet pocillatorem & bibentem, quantùm interſit aquis immergi vel potari metallicis. Calidarum ſponte naſcentium priſci laudavere balnea, diſcretô vſu nocumenta revelarunt. Dulcium, nitroſarum, ſulphurearum, bituminoſarum naturales Thermas indulſere hydropicis, paralyticis, arthriticis, iſchiadicis, neuricis, tremulis, fruſtratâ alimoniâ maceſcentibus, palpitationi cordis, ſtrumis, ejuſdemque indolis ſcirrhoſis tumoribus diſcutiendis, ſterilibus naturâ frigidis, denſi durique habitus, præhumidis, mucô & crudiore excrementô ſuſque deque perfluentibus. Tales noſtrates Borboniæ, præ quibus non eſt quod alias peregrè requiras, Leſbonque naviges aut Mitylenem. Earundem balneo, nedum potu, ijdem interdixere præcalidis, bilioſis, flagrantibus vitæ & naturæ laribus, arctiore vitalium tabulatô, ſuſpirioſis,

phthiſicis,hæmoptoïcis,ſtranguriofis, calculoſis, caput laterâve dolentibus, epilepticis,vertiginoſis, veternoſis, hyſtericis, febrientibus. Nec minor ab auſteris ferrugineis, aluminoſis, inſipidis ſtibiatis,mercurialibus, acidis chalcanthoſis, ſed occultior ſegniorque pernicies, ſecutâ exinde perirrhœâ aut diarrhœâ nulli beneficâ. An parcituræ illæ membris mollioribus quæ ferrum exedunt rubigine? æs in æruginem, plumbum in ceruſſam ſoluunt; ſata, ſtirpes ſolum lambendo enecant. Vel obſtructis reſerandis, craſſis tenuandis, eliquandis, deturbandis commodæ, quæ incilia nilosque tophaceâ, pumicosâ, ſiliceâ, rubiginosâ ſuperinductâ loricâ muniunt & coanguſtant; nec eôdem quô tubulos oblimant & incruſtant tectoriô, exiles venas, impeditoſque meatus corporis, & cæca viſcerum ſpiramenta infarcient oblinentque, nullô ſubinde diaphoreticô, polychreſtô, mochlicô, mercuriô, ſale, ſulphure, crocô, pulvere, nullâ tincturâ relinenda. Ita Naturæ & Vitæ bonis brevi decoquitur, maturantur fata, damnaturque annis ſterilibus votiva fœcunditas. Ecquid enim proli factura reliqui lignea & muriatica mulier hauſtu juſſa agoniſticô ſiccare ſolidô menſe infœcundos calices aquarum Borboniarum, Spadenſium, Pugenſium, Forgenſium, San-Mionenſium, Vicenſium, Reginæarum, quas ne ſummis labris bruta delibaverint. De Pyrrha potius, Aphrodiſio, Oeta, Tarrha, Selemno, Sybari bibiſſe credas, ac funeratâ fœcunditate atrô die Veneri parentaſſe. Gratijs dabitur ſi hæc illam modò emaſculaverit. Verbô expediam, quantùm biberit, tantùm vitæ prolique ſubductum.

Ergo nocet Fœcunditati Aquarum Metallicarum potus.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Petrus le Large Primarius Reginæ Luſitanorum Medicus.
M. Antonius Ioannes Morand.
M. Michael Denyau Profeſ. Reg.
M. Ægidius le Bel.
M. Abrahamus Theuart.
M. Nicolaus Lienard.
M. Stephanus le Gaigneur.
M. Petrus Bourdelot.
M. Carolus le Breton.

Proponebat Lutetiæ PETRVS YVELIN Pariſinus
A. R. S. H. M. DC. LXX.

PARISIIS,
Typis ANTONII RAFFLE' viâ Ponticuli ad Inſigne Lebetis.